Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36647
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

in anima, alia in conexu utriusque. In corpore alia in vegetacione secundum quam crescit, que omnibus nascentibus convenit; alia in humoribus ex quorum complexione humanum corpus subsistit, que sensibilibus omnibus communis est; alia in operationibus, que specialiter racionalibus congruit, quibus mechanica preest. Que si modum non excesserint bone sunt, ut inde non nutriatur cupiditas unde infirmitas foveri debet, sicut Lucanus in laude Catonis refert: Huic epule vicisse famem, magnique penates submovisse hyemem tecto, preciosaque vestis hyrtam membra super romani more quiritis induxisse togam. Musica in anima alia est in virtutibus, ut est iusticia, pietas et temperancia; alia in potenciis, ut est racio, ira et concupiscentia. Musica inter corpus et animam illa naturalis amicicia qua anima corpori non corporis vinclis sed affectibus quibusdam colligatur ad movendum et sensificandum ipsum corpus, secundum quam amiciciam nemo carnem suam odio habuit. Musica hec est ut ametur caro, sed plus spiritus, ut fovetur corpus, non perimatur virtus.

Musica instrumentalis alia in pulsu, ut fit in tympanis et chordis; alia in flatu, ut in tybiis et organis; alia in voce, ut in carminibus et cantilenis. Tria sunt quoque genera musicorum: unum quod carmina fingit, aliud quod instrumentis agit, tercium quod instrumentorum opus carmenque diiudicat.

De geometria.

Geometria tres partes habet: planimetriam, altimetriam, cosmimetriam. Planimetria planum metitur, id est longum et latum, et extenditur ante et retro, dextrorsum et sinistrorsum. Altimetria altum metitur, et extenditur sursum et deorsum. Nam et mare altum dicitur, id est profundum, et arbor alta, id est sublimis. Cosmos mundus interpretatur, et inde dicta est cosmimetria, id est mensura mundi.

Hec metitur sperica, id est globosa et rotunda, sicut est pila et ovum, unde eciam a spera mundi propter excellenciam dicta est cosmimetria, non quia tantum de mundo mensura agatur, sed quia mundi spera inter omnia sperica dignior sit.

Nec contrarium est quod supra immobilem magnitudinem geometrie attribuimus, et mobilem astronomie, quia secundum primam in